Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1417
Quelle:
Copyright:

In quo verus intellectus omnium scripturarum et prophetarum inuenitur saltem in illis passibus, in quibus fides catholica fundatur, de quo semper deo gratias. Similia his leguntur etiam in Exemplis *impressis*, de quibus *loco supracit.* mentionem injecimus.

CCCLXIX.

674 Codex chartaceus ital. Sec. XVI. Folior. 19. 4. nitide scriptus, et variis ductibus florulentis sic satis ornatus nomen Autoris ita praefert: *De la sua Sacra Maiesta fidellissimo seruitor Marco Lombardo ia Ebreo fatto Christiano con la sua Consorte et cinque figlioli ad honore domini nostri et saluatori Jesu Christi* &c. Linguae minus peritum vides Νεοφυτον, quod et sequentia confirmant; offert enim *Maximiliano* II. *Demonstratione de gli passi sopra la scrittura in defensione de la fede di Christo vero Messia, Contra de Hebræi.* Quod quid sit, aegre dispicias, nisi dicam, XII. esse Symboli Apostolici *Articulos*, singulis vulgo Apostolis tributos, quorum quivis locis e Lege Veteri et Prophetis depromtis illustretur et confirmetur. Ita initium: *De La Trinita. Genesis al Primo. Petrus. Credo in deum patrem omnipotentem creatorem cæli et terræ. Articulo Primo. Nel principio, cioe, nel figliolo, creo idio il cielo et la terra: Et il spirito de idio era portato sopra le aque* &c. Ad calcem: *Il Fine.* M. D. LXVIII. Sed adhaeret: *Inuitto fatto da Christo in croce al giudeo accio ritorni a la fede delle christiani.* Strophis rhythmicis, quarum principium:

A bracia aperte iusto (io sto) *semper et aspetto*
O giudeo ostinatto che à tornare
Ti moui à me che son sicur ricetto &c.

Ita recta scribendi ratio passim violatur, neque *Marcus* hic προσηλυτος adcenseri meretur *Paulis Ritio* et *Weidnero*, *Ant. Margaritae* &c.

CCCLXX.

896 Codex chartaceus lat. Sec. XVI. Folior. 140. 4. sequentia *Pauli Ricii*, de quo plura inferius, Scripta complectitur: I. *Talmudica* (ita in edit. Augustana 1519. 4. vocantur) *nouissime in latinum versa periocunda Commentariola.* Sunt vero praeter excerptam R. *Moysis Maimonidis* in משנה *Mischnam* seu Legem Secundam Judaeorum Praefationem Epitome Tractatus ברכות sive *Berachoth de Benedictionibus*, qui est primus Ordinis I. זרעים sive *Zeraim*, id est, *de Seminibus.* In Editione memorata dicatur haec Epitome una cum alia, de qua N. III. dicemus, *Leoni* X. Pont. Rom. sequiturque *Praefatio* ad Lectores,